



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio
Perfectionis Libri Dvo**

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

XLI. Cum spei virtute hominem quandam omnipotentiam induere,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

non pigeat. *Si quis mihi ministrat, ait Saluator, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Ioan. 12.

CAP. XLI.

Cum spei virtute hominem quandam omnipotentiam induere.

237. **N**emini mirum videri debet, hominem qui sibi diffidit, Deoque nititur, quandam omnipotentiam induere, cum Deus ipse quodammodo ad hoc verbis se obstringere voluerit, atque in primis orantibus, & à se quidpiam petentibus; ita enim per Isaiam ait: *Erit antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* At luculentiori testimonio Regius Psalter hoc ipsum denuntiat. *Voluntatem inquit, timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Quid est hoc, Domine? ergone rerum obtinendarum mensuram voluntatem nostram constitutis? Omnino. Quid, si cupiam in meipso superbiam obterere indomitos iracundiæ motus in perpetuum sedare, rebelles corporis affectiones fenare, auaritiæ cupiditates conuellere, composne votorum euadam? Si velis, omnino. Si castus deinde, si humilis, si sobrius, si misericors, si patiens esse volueris? Si modo velis, pete: Deus deprecationem tuam exaudiet; ait enim insuper Dominus: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* Ioan. 15.

Rrr 5 Quid

Quid si multa pro Christo pati, si multa eius nomine facere, si denique in eius obsequio carere emori? Si volueris, pete, & fiet tibi. Quid si regnum, si ipsum Deum possidere velim? Si velis, pete, & fiet tibi. Sed velle debet; alioquin numquam petes. Si velis & petas, fiet tibi: multi enim nolunt, ideo non petunt, nec obtinebunt. Petunt vero opes, honores, & (si placet etiam) omnium genera voluptatum. Hæc non obtinent: quia male volunt, & mala. Si hæc bona essent, & vellent, & peterent: eas obtinerent. Sed hæc vel vana vel obscena vel non possunt, si ipsi in Christo, & eius verba eis maneat. Qui enim in Christo, & eius membrum est. Aliud non vult membrum corporis, quam spiritus qui in corpore toto est: hæc verba Christi, quæ in nobis manere debent, hoc est, spiritus, qui per eius verba nobis datur, numquam suadebit nobis, ut alia petamus, quam quæ ad salutem nostram Deique gloriam pertineant. quæ enim petimus, in nomine Christi petenda sunt; nam explicans sese alibi Dominus Iesus ait; *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non petitur in nomine Saluatoris inquit Sanctus Augustinus, quidquid petitur contra rationem salutis. Denique Deus peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Cum ergo voluntatem Dei facimus, ille vicissim nostram facit, expetque desideria, audit & exaudit postulationes nostras. Hæc orantibus & petentibus promittuntur.

*Ioan. 16.
Tract. 102.
in Ioan. in
init.
Ioan. 9.*

Idem

Idem benignissimus Deus promittit speran- ^{2. Ex vi}
 tibus in se; ita enim hortatur nos Sapiens: *Habe spei.*
fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne inuitaris ^{Prou. 3.}
prudentia tua. In omnibus viis tuis cogita illum, &
ipse diriget gressus tuos. Gemma gratissima, expecta- ^{Prou. 17.}
tio praestolantis: quocumque se vertit, prudenter intel-
ligit. Huc accedit Rex David: Sperent in te, qui no- ^{Psal. 9.}
uerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti qua-
rentes te, Domine. & Ieremias: Benedictus vir qui co- ^{Ierem. 17.}
fidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Isaias ^{Isa. 30.}
vero: Vae filii desertores, dicit Dominus, vt faceretis
consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non
per Spiritum meum. Hac dicit Dominus Deus sanctus
Israel: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis: in silen-
tio & in spe erit fortitudo vestra.

238. Hoc priuilegio, omnibus sperantibus in ^{3. Exemplo}
 Deum concesso, vti sunt sancti viri, & miranda ^{sanctorum.}
 fecerunt. Quid non fecit Moyfes in Aegypto? ^{1.}
 quae portenta, quae & qualia edidit prodigia! ^{Moyfis.}
 nec cessauit, donec Aegyptum ipsam aquis o- ^{Exod. 7. 8.}
 brueret, mergeret, ac maris vorticibus sepeli- ^{9. 10. 14.}
 ret. Per orationem Moyfis profligati Amaleci- ^{Exod. 17.}
 ta occubuerunt.

Iosue imperauit soli ne occumberet, Deo il- ^{2.}
 li parente, vt sese de hostibus vlcisceretur. ^{Iosue.}

Quid, quod mortis decretum immutabilis ^{Iosue 10.}
 Deus reuocet, & quindecim annos vitae lamen- ^{3.}
 tabili voce petenti Ezechiae adiciat? Hoc ^{Ezechia.}
 prodigiosum; sed & prodigium prodigio adie- ^{4. Reg. 20.}
 cit: in testimonium implendae promissionis,
reduxit vmbra per lineas, quibus iam descende-
rat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

En

En duo in sole prodigia plane stupenda. Magna vis vel vnus animæ Deum diligentis, & foerit cum omnes coniciens, vt illum impellat in ordinem vniuersi immutandum; ille solem iustat oratione, hic reuocet. Sed ad quot (quæ) miliones miliarium? Dicam, vt miraculi appareat magnitudo. Retrocessit sol 10, lineis in horologio Achaz. Linea vna horam vnâ continet: singulis autem horis, ex fundamento Ptolemæi, sol, cum circa æquinoctia versatur, conficit miliaria Belgica trecenta sexaginta-quæque millia, ducenta viginti-tria, additis aliquot minutis. In Belgico miliaria tria continentur Italica: essent ergo Italicorum miliarium decies centena & nonaginta-quinque millia, cum sexcentis sexaginta-nouem, cum suis minutis.

365223.

1095669.

3652239.

10956690.

At decem his horis Belgica miliaria centarentur trigiesies-sexies centena & quinquaginta-duo millia, nec non ducenta triginta-nouem; vel clarius, tres miliones sexcenta quinquaginta-duo millia, ducenta triginta-nouem Italicorum vero miliones decem nongenta quinquaginta-sex millia, sexcenta, nonaginta.

Lineæ ergo in horologio Achaz exiguo spatio à se inuicem distendebantur, & sol in iis cursum breui admodum tempore videbatur conficere: Mathematicorum tamen iudicio clari demonstrationibus ostenditur, solem iam dicta spatia totidem horis per immensos cæli globos ac stadia decurrisse, quem cursum, cælestis

Mer-

Mentium summa sapientia, prouidentia, ordineque inuariabili in usum mortalium directum Ezechias humili prece velut manu apprehensum, non modo sistere, sed & ad tot milliarium myriadas retrocedere, fiducia in Deum nixus, inaudito fecit miraculo; vitamque decliuem, solis rapido volatu celerius abeuntem, ad annos quindecim retrahi, sibi que prorogari impetrauit. *Ordinatione tua perseverat dies*, ait Rex David. Deus hunc ordinem precibus in se sperantium immutauit. *Psal. 118.*

Elias vno verbo igni cœlesti mandat, & quidem altera vice, vt quinquagenarium cum quinquaginta viris absumat: eodemque momento è cœlo delapsus, quinquagenarios & eorum milites quinquaginta absumpsit. O mira hominibus concessa potentia!

Elifeus non modo lepram morbosque oratione curauit, sed & mortuos ad vitam reuocauit. *4. Elisei. 4. Reg. 4.*

Hac virtute excelluit, si quis mortalium, Rex David; cui fiducia in Deum tanta, vt vix sit repetire Psalmum vnum, ex quo sæpius huius præstantissimæ virtutis scintillæ, imo ardentes flammæ, non erumpant. Ecquid etiam non potuit? quid non effecit? Insigne illud est præ ceteris: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Psal. 26. Dominus protector vite mee, a quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me proelium, in hoc ego sperabo. Quid mirum? qui enim sperat in Domino, qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli*

com-

cōmorabitur: ipse liberabit eum de laqueo venarum,
 & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, & ala
 pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius,
 non timebis à timore nocturno: à sagitta volante
 die, à negotio per ambulante in tenebris, ab incursu
 demonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem
 millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.
 Quis hisce viribus præualeat? Denique
 confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur
 in aeternum, qui habitat in Ierusalem. Mōs in
 circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, nunc
 & vsque in seculum.

Psal. 124.

6.

Apostolorum.

Huic veritati confirmandæ nihil efficacius
 video verbis Seruatoris, quibus omnipotentiam
 quandam Apostolis pollicetur: nec tantum, sed &
 omnibus qui cum fiducia ad ipsum recurrunt.
 Cum enim Apostoli secreto Deum Iesum rogassent
 cur dæmonium Iudæum non potuissent eiicere,
 cum paulo ante potestatem ab eo pellendi dæmones
 accepissent; ipse vero arguisset eorum incredulitatem
 sublecit: Amen quippe dico vobis, si habueritis
 fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic,
 Transi illuc: & transibit, & nihil impossibile erit
 vobis. Simile quod contigit, cum sola Christi
 maledictio ficulnea quædam iuxta Ierosolymam
 aruissent mirantibus Apostolis, & dicentibus,
 Quomodo continuo aruit? Respondit Iesus:
 Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non
 hesitaueritis, non solum ficulnea facietis,
 sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta
 te in mare: fiet: & omnia quæcumque petieritis
 in oratione credentes, accipietis. Sanctus Marcus
 idem

Matth. 17.
 Fidei efficacia, mō-
 tes trans-
 ferentis.

Matth. 21.

Marci 11.

idem refert, sed maiori paulo exaggeratione. *Habet, inquit, fidem Dei. Amen dico vobis, quia qui- cumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in ma- re, & non hasitauerit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petitis, credite quia acci- pietis, & euenient vobis.* Aliud apud B. Lucam re- fertur. cum enim Apostoli Domino dixissent, *Adauge nobis fidem; respondit Dominus: Si ha- bueritis fidem sicut granum sinapis, diceris huic ar- bori moro, Eradicare, & transplantare in mare: & o- bediet vobis.* Luc. 17.

Hæc magna sunt, sed vera; & primæ veritatis asseueratione, quæ nec falli potest, nec fallere, nituntur: qui enim monti imperare potest, potest & mari, & soli, & terræ, ceterisque ele- mentis insensibilibus. Putant tamen nonnulli, teste B. Hieronymo, hæc factu facilia esse. Ita *In c. 17.* verba ipsa præ se ferunt: requirunt enim tantū *Matth.* fidem, atque eam quidem non maiorem grano sinapis, quo inter grana pæne minus non est; at- que adeo, qui granum vnum fidei supernatura- lis haberet, posset omnia signa, quæ Moyses fe- cit in Ægypto, perficere. quod si verum esset, omnes profecto vellent istam potestatem exer- cere: & maxime Reges, qui libenter imperio v- tuntur: hi transferrent castra, domos, fluuios, maria, rupes, & regna. Verum aliter se res ha- bet: & si potestas hæc pretio comparari posset, multi, oblata pecunia, cum Simone dicerent, *Date & mihi hanc potestatem.* Sed lubet cognoscere *Act. 8.* quid hic Dñs Apostolis, quid nobis promittat

ac præcipiat : multi namque appetunt potentiam, & ea quæ pariunt admirationem; parum humilitatem, eaque media, quibus reverentia magna possunt efficere, magnique evadere.

Fidei acceptio duplex.

I.

Pro firmo mentis assensu.

Heb. II.

i. Cor. 13.

Et ut paulo altius hanc rem tam sublimem ac difficilem repetam, fides (quæ huius potentia est instrumentum, non sola tamen) subinde in sacris litteris sumitur dum taxat pro firmi mentis assensu ad ea quæ à prima veritate credenda proponuntur. Ita B. Paulus, *Fides, inquit, est sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium.* Pari modo cum tres virtutes Theologicas distinguit : *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc.*

Fides mater fiducia.

Verum etsi virtus hæc fundamentum inducæ in Deum quod excellentissima quæcumque bona obtinenda certissime proponat, ex se tamen nihil impetrat ; & in intellectu consistit non in voluntate, cuius est facultas ad operationem applicare. Ut autem quidpiam, maxime si illud arduum sit, conficiatur, necesse est ut ipsa animum afficiat amore; ex quo desiderium erumpit. Quod si obtentu possibilis sit, accedit spes ad desiderium : & si opera opeque alterius opus sit, confidentia in quærendo subsidio x. argit. hæc preces adhibet, omnemque morum operam ut opem viresque colligat undique, votorum suorum compos tandem evadat. Fides tamen plurimum adiumento est : & si magna, singularem; si parva, exiguam; mediocrem, si maior, confidentiam generat; utpote quæ à dei tamquam basi innitatur, eiusque promissis

Pari modo, si desideria languida fuerint; conatus pares, cereteraque sequentia eiisdem respondebunt. Ideo Christus Dominus rei optatæ, non adeptæ, defectum vel modicæ fidei, vel incredulitati adscribit: quis enim certo speret, aut ardentem quærat, quod vel non credit, vel certe fortiter non apprehendit?

Quare fides, cum ei in sacris Evangelij codicibus salus & cupitæ rei consecutio tribuitur, ita in usu est, ut duo complectatur: firmum nimirum mentis assensum in res credendas; & fiduciam in Deo ex illo assensu progeneram. Ita Christus Dominus nimis sollicitos pro temporalibus arguit: *Si fenum agri quod hodie est & cras in clibanum*

2.
Pro fiducia.
Matth. 6.
Matth. 14.

mittitur. Deus sic vestit: quanto magis vos, modicæ fidei. Item impropertavit D. Petro fluctuanti: Modicæ fidei, quare dubitasti? Fidem vocat, quam ante fiduciam; dixerat enim: Habere fiduciam: ego sum,

Matth. 9.
Marc. 2.
Luc. 5.

nolite timere. Intuitus est denique fidem illorum, qui paralytici cum per lectum demittebant, quibus omnibus sententiis non sola fides usu veniebat, sed etiam confidentia de diuina bonitate: quæ in illis, defectu maioris fidei, minime sese exerebat

Matth. 9.

sed in hoc postremo loco, ob explicatam fidem, maxime elucebat. Unde IESVS, videns fidem illorum non dixit paralytico, Crede; sed, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: credenti sane, sed, præter fidem ac spem gestantium, desiderabatur in infirmo par fiducia, preces, ac desiderij eiusdem testimonificatio.

Eiusmodi fides, munita confidentiâ, omnibus ad salutis mediâ consequenda, ipsumque finem

Fidei seu confidentiâ

SS vlti.

*diuersi gra-
dus.* vltimum, omnino necessaria est. Diferentiam
eius sunt gradus. Infimus est, quo homines agi-
tant se vel ad iustitiam consequendam; vel illa
adepta, ad exercenda ea opera, sine quibus salu-
ri non possumus. Secundus gradus non necessi-
tatis, sed consilij est, quo homines ad hereticam
quædam facinora assurgunt, ad PERFECTI-
onem aspirantes. Terminus, & maxime emi-
nens, qualis locis iam allatis describitur, peculi-
rum est, & inter peculiararia Dei dona numeratur.
Ea vero fides est, quæ & Dei omnipotentiam
tam constanter clareque credit, quam si coram
oculis suis cerneret quiduis operantem; & de
Dei bonitate tantam concipit fiduciam impe-
trandi id quod expedit, vt nullo modo vacillet
aut hæsitet. Talis fuit Moysis fides, de quo ap-
tostolus ait: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus*

*Heb. 11.
Qua requi-
rantur ad
fidem signo-
rum.*

1.
*Confiden-
tia.*

2.
Caritas.
1. Ioan. 3.

*sitatem Regis: inuisibilem enim tanquam videns
nuit. Itaque non sola fides magna & prodigiosa
illa perficit & assequitur, sed plura alia desideran-
tur, & (vt vidimus) in primis confidentia, per
quam ipsa fides operatur; siue fides per fiduciam
operans.*

Requiritur deinde ordinarie caritas, seu
homo sit in gratia, auctore D. Ioanne. *Caritas*
*ait, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam
habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus
eo: quoniam mandata eius custodimus.* Exigit hinc
Ioannes duo: alterum, vt à grauioris peccati
morsu conscientia libera sit; alterum vt con-
formis sit voluntas nostra vel iurati diuina
omnibus, vbi præceptum aliquod, ab eo
pre-

præcipere potest, accesserit. Cuius ratio est, quod sine fiducia fides non operatur. At fiducia inculpatae conscientiae & rerum recte gestarum præsidio, voluntatis item diuinæ executione nititur. Si ergo nos conscientia reprehendat, non modo nihil arduum, nihil heroicum aggredi poterimus, sed etiam flaccescet animus, & inventum desideria nostra evanescent: eo quod præcipua pars actionis nostræ, auxilium nempe de cælo ventens, desit. *Longe enim à peccatoribus Psal. 118. salus: quia iustificationes tuas, Domine, non exquisierunt.* Adde quod S. Ioannes non tantum fiduciam, sed etiam preces vellet adhiberi. *Quidquid, ait, petierimus, ac peccatorum preces à Deo non exaudiuntur: requiritur ergo libertas quædam, quæ nascitur ex testimonio bonæ conscientiae, mente tranquilla, placideque composita.*

Fit tamen subinde, ut per peccatores miracula patrentur: expedit enim ad declarationem diuinæ potentiae, ut Deus interdum malo instrumento res magnas conficiat. *Num & Saul inter Prophetas? & Balaam mira prædixit, quid? & asinus eius articulate locutus est, nam (ut bene Chrysoctomus) hæc fides non dogmatum est, sed signorum; atque donum gratis darum, quod sine caritate possit consistere. hinc B. Paulus: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Raro tamen talibus instrumentis DEVS vitur, cum non desint aptiora, & ipse eadem aptare possit.*

Sff 2

Requi-

3. *Conformitas in voluntate diuina.* Requiritur tertio, vt ea ipsa, quæ aggredimur, non modo in genere diuinæ voluntati consentiant; sed etiam quoad omnes circumstantias loci, temporis, modi, & alia quæ prudentia supernaturalis suggerit, alioquin homines hac gratia abuterentur, & instar circulatorum, signa excitarent. Ita testatur S. Iohannes: *Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quæ quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos: & scimus quia audit nos, quidquid petimus: scimus quoniam habemus petitiones quas petimus ab eo.*

4. *Certitudo de euentu futuro.* His etiam addi debet, vt nobis certo petideamus illam esse Dei voluntatem, & credamus ipsum facturum quod postulamus: eo quod hoc opus vel multum promoueat eius gloriam, vel salutem animarum; vel certe omnino sit necessarium. Hoc sane parui momenti non est, sed fides & confidentiam requirit valde eximiam, & maximam atque intimam cum Domino Deo coniunctionem. Hoc ipsum verba Seruatoris exigunt, qui ait: *Non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. &: Quæcumque vestes petitis, credite quia accipietis.*

5. *Caritas fraterna.* *Marc. xi.* Aliam condicionem Seruator adiecit, nempe vt fratribus dimittamus, si quid contra habeamus; subiungit enim proxime post verbum iam allata: *Et cum stabis ad orandum, dimittit quid habeatis aduersus aliquem; vt & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Quibus verbis ostendit, non solam fidem sufficere ad aliquid à Deo obtinendum, sed requiritur

maxime caritatem fraternam.

Requirat præterea Dominus orationem, que
fidei spe, que instrumentum est: requirit & ieiunium. cum enim potestatem haberent Apostoli
pellendi dæmones è corporibus, non potuerunt
tamen adolescentem obsessum liberare; Chri-
stus vero inter ceteras & hanc rationem attulit:
*Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem
& ieiunium.* quasi dicat: Malorum genera alia aliis
sunt grauiora, & dæmonum alij aliis potentio-
res, rerum agendarum quædam aliis magnitu-
dine præstant; solus Deus nouit quid expediat,
potestque omnia: vobis non ita erit sine recursum
ad Deum, vt sciatis potentiam hanc non à vobis
sed ab omnipotente prouenire, & cum depen-
tia & limitatione concedi.

Fides miraculorum hæc & plura complecti-
tur & requirit; nec mirum; stupenda enim sunt,
quæ hac promissione continetur; atque beni-
gnissimus Deus hominibus, vt in partem omni-
potentiæ suæ veniant, indulgisse videtur. Res ad-
modum prodigiola fuisse, si mons Oliueti (hic
enim forte designabatur) à loco suo, & per aerem
in mare, longo spatio translatus abiisset. Impe-
rare dæmonibus, eosque, qui rectores mundi
huius sunt, ex sua possessione pellere, res admi-
ratione digna est: sed maius est à faxis & rupib.
audiri, illa ipsa parere homini mortali, moueri
loco, per aera deferri. hanc tamen potestatem
Dominus sponte & insinuare, & polliceri, & re
ipsa hominibus largiri voluit.

Apostolos illam exercuisse non legitur: non

Sff 3 sequi-

facta.
1. ab Apo-
stolis.

P. Petrus
du Iarric.
lib. 2. hist.
India O-
rient. c. 17.

2.
A viris
Apostoli-
cis

P. Petrus
du Iarric
ubi supra
ca. 28.

Li. 7. Eccl.
hist. ca. 24.

in editione
vetusta
Parisiensi.
Matth. 17.
& 21.

3.
A studiosis
Perfectio-
nis.

sequitur tamen non fecisse: maiora prestiterunt, dum infinitam vim hominum à servitute demum ad veri Dei cultum transtulerunt, & vitam à mortuis excitaverunt. In India certe à B. Thoma Apostolo confecta olim haud inferiora legitur.

Miranda nostro saeculo, his non inferiora constantur historiae. De montis translatione in particulari per Gregorium Thaumaturgum, describit Eusebius Caesariensis: In quodam loco angusti cum res posceret Ecclesiam construere, rupem vicinam montis ex parte Orientis obiectam, ex quo vero praeterfluens fluvius, spatium, quantum Excelsus sufficeret, denegabat: & cum alius omnino non esset, omnesque moestitiam gererent, quod solum ad construendam Ecclesiam non haberent: ille fide plenus noctasse in oratione dicitur, & Dominum Jesum promissionis suae a monuisse fideliter, qua dixit, si bueritis fidem sicut granum sinapis, ductis montem Tolle te, & mitte te in mare, & vnique fiet. cumque plena fide atque deuotione deposceret, ad lucem omnibus populis, inuenta est rupe importuna, seu quantum, quantum spatii ad condendam quae batur Ecclesiam. Haec Eusebius, quibus huius est, quod ibidem de lacu ab eodem sic narrat.

Verum enim uero etsi non omnes ad fiduciam excellentiam illam attingant, aut donum miracula patrandi assequi queant; possunt tamen virtutes iam dictas comparare: fidem intentionem, confidentiam, profundam humilitatem, conscientiam puram, caritatem in Deum & homines.

LIBER SECVNDVS. IOIS

nes singularem, resignationem absolutam ad
 autum diuinæ voluntatis, studium orationis, &
 carnis Deo rationique subiiciendæ potestatem.
 Hoc ipsum voluit Dominus, cum ait: *Habete fi-*
dem Dei. Non dixit: *Transferte montes, euellite*
profundas arbores verbo, arefacite ficulneas,
miracula patrate. Hæc certe non sunt in nostra
 potestate. Quid ergo? *Habete, inquit, fidem Dei.*
 Hæc in vestra & omnium est potestate. Nihil
 mandat Deus impossibile, imo & *mandata eius*
grauia non sunt. Fidem Dei habere & iubemur
 & tenemur; hanc curemus: de miraculis viderit
 Dominus, qui nullum tale præceptum ad salu-
 tem necessarium nobis præscripsit. Non ergo
 hic artem montes transferendi, aut faciendi
 miracula, profitemur, (sicut nec Christus) sed
 pellendi incredulitatem ac diffidentiam, acqui-
 rendæ augendæque fidei; artem pellendi è no-
 his dæmones & vitia, nos ipsos superandi, cal-
 candi superbiam, cupiditatem frenandi, extin-
 guendi libidinem; artem acquirendi heroicæ
 virtutes, diuinam gloriam in proximorum sa-
 lute procuranda promouendi, pro CHRISTO
 Domino & eius Ecclesia multa & graua susti-
 nendi, mortem denique acerbam & ignomi-
 niosam ad imitationem Capitis nostri oppe-
 tendi.

Marc. 11.
1. Ioan. 5.

Ad hæc acquirenda, fides confidentiæ iun-
 cta adeo valet, vt non immerito Christus dix-
 erit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, nihil im-*
possibile erit vobis. Ergone minima fides montes
 transferet? quod enim eo minus inter grana?

Virtus gra-
ni sinapis
cum fidu-
cia compa-
ratur.
Matth. 17.

SS 4 Vti-

1. Cor. 13. Vinam & nos omnes fidem haberemus sicut granum sinapis! quæ à B. Paulo *omnis fides dicitur, ita ut montes transferat.* Hac enim seculum Christus doctrinam, quam hæcenus tradidimus, luculenter expressit ac comprobavit. In grano sinapis duæ res sunt: una, moles granique sane exigua est: altera, vis quæ eidem inest: hæc omnino magna est. Talis esse debet eius confidentia, qui aliquid ad Dei gloriam aggredi cupit. Ex parte hominis adeo parva sit necesse est, ut plane de viribus suis diffidat, se nihil posse perbitretur, se abiciat ac deprimat coram Deo quantum potest, instet orationi, ieiuniis carnis affligat, denique ostendat nullum granum minus esse seipso: ex parte vero Dei, vis confidentiæ maxima esse debet: etsi enim *granum sinapis minus sit omnibus seminibus: cum creverit, maior omnibus oleribus. Et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant & habitent in ramis eius.* quod indicium laetitiae eximia virtutis est; sicut & nos experiri videmus: enim teritur dentibus, aut editur, acrimoniam habet, viucitatem, vehementiam, feruorem: suum exerit, cogit sternutare & lacrymas elicere. Hæc omnia & plura efficit confidentia, si se homo demittat, omnem vitet ostentationem, fingat gloriam; si humilis haberi nolit, sed vilis reputari; si ea, quæ hominum iudicio alia magneque putantur, auersetur; si ex opposito sentiat de Domino in bonitate, eius omnipotentiam suspiciat, auxilium imploret, ipsum veneretur, eius gloriam deprædicet, propensam eius ad optulandum humilibus voluntatem diligenter per-

In grano sinapis duo esse, ut in confidentia.

1.

Diffidentia sui.

2.

Fiducia in Deum.

Matth 13.

Sap. 1.

perpendat & ruminet, totam denique fiduciam & diffidentiam sui & impotentiam in eum proiciat. Is si montes non transferat, solem non fistat, demones profecto ex animo suo & aliorum propellet, cum omnium vitiorum caterva; & longe maiora efficiet, quam si, virgam Moysis manu tenens, prodigia omnia Ægypti iterato renouaret.

CAP. XLII.

Formula spei exercenda, ad res maxime difficiles superandas, operaque heroica exercenda.

239. **Q**uid ergo nobis timendum est, cum longe plures à nobis stent, quam aduersum nos? & sane Dei virtus & potentia, coniuncta simul eius beneuolentia, instar esse debent omnium; ipse etenim & nobis bene uult, & in nobis de hostibus suis cupit triumphare.

Si igitur exurgat tentatio, formula nimirum fortiter agendi tradenda est, aliquot cautionibus comprehensa; quarum prima hæc est: Si, inquam, persecutio excitetur contra te, si iniuria inferatur, si impingatur calumnia, si contumelia tibi coram affingatur, cum magnæ confusionis aq; ignominia rubore, si quis te etiam percutiat; illico (quod omnium primum esse debet) ad Dominum te conuerte: huius enim defectu minima occasione oritur in nobis maxima perturba-

Cautio prima. Modus ac ratio aduersa tolerandi.

SSf 5 tio,